



## **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

10. Dies Maii. Q quanti Veritatem quærunt non in veritate: quæsitam inveniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem. Richardus de S. Victore serm.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 10. DIES MAII.

**O** quanti Veritatem quærunt non in veritate : quæsitam inveniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem. *Richardus de S. Victore serm.*

Curiosi-  
tas in no-  
xiis scien-  
tiis.

**D**logenes morum, nescias antea Censor, an eruditior Præceptor, tria hominum genera carpere solebat & curiosæ scientiæ arguere, Historicos, Musicos, Astrologos. Hostres, ternis his punctis pungemus, ut inanem in scientiis comparandis curiositatem castigemus. I. Carpendi Historici : arguendi sunt, quod inquirant studiosè, quid ubique terrarum olim est gestum, vel modò geratur in orbe, ignari quid agatur in corde. Quid inde fructus, scire quomodo Jupiter duxerit uxorem, quæ fuerit patria Homeri, de Æneæ matre vera, an Sappho publica fuerit, & alia quæ erant descendenda si scires? Quid stultius quam sagaciter rimiri quid agatur apud Garamantas, & Indos, & negligere quid agatur intra nostra præcordia, & fibras? habes cujusque Regni & Reipublicæ statum exploratum, & non consideras animi statum deploratum. Non nocebit ista transire, quæ non proderit scire. Fies, ubi omnes fastos, & annales cognoveris, scientior, non melior. Non opus est voluntare historias, & volvere historicos, ut quid tibi sit faciendum boni, aut declinandum mali, intelligas. Quidquid nos melio-

Majus.

Tessera.

355

meliores, beatosque facturum est, Deus autem aperto,  
aut in proximo posuit.

II. Musicos carpebat Diogenes, quod cum ci-  
tharae fides artificiosissime contemperarent, & in  
sua vissimam aptarent harmoniam, animae tamen suae  
facultatibus tam male moderarentur, moribusque  
inconcinnis essent, ac dissonis; cumque in homi-  
num auribus demulcendis, tantum operae, ac laboris  
ponerent, in mente sua componenda, pravisque ejus  
motibus sedandis, essent tam socordes. Musica mon-  
strat tibi qui sunt modi flebiles? monstrat potius quo-  
modo inter diversa non emitas flebilem vocem. U-  
tilius disces modum ex dolore pulsandi corda, quam  
chordas. Satius est comprehendere bene unum  
punctum Fidei, quam esse gnarum ludendi fidibus.  
Sæpe infringuntur virtutum nervi, cithararum, dum  
mollia canuntur, nervis. Nam in pudicitiae aditus ape-  
titur, dum hic agili plectro tintinnantis testudinis sonos  
expedit, ille docili digito laborantis organi blandi-  
mento componit. Unde facile dum suavi voce mul-  
etur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus.  
Nemo igitur insidiosis cantibus, & flexanimis mo-  
tulationibus crederet, quæ cum oblectant, saeviunt,  
cum blandiuntur, occidunt. Quapropter quid con-  
fertur musica quæ nec ignorantis nocet, nec scientem  
juvat? si tanta tibi canendi est libido, hic potius præ-  
ficarum instar, flebili lessu, cane in valle lachryma-  
rum velut exul funebria epicedia, ut postea in cælis,  
velut vitor, canas jucunda epinicia.

III. Sequitur tandem Astrologus: hunc insimu-  
labat Diogenes vesaniae, quod sui oblitus inter sive-  
ravagaretur, totusque sphærarum, ac globorum

Z 2

cæle-

cœlestium ordini, proportioni ac numero intentus virtutes quæ fulgore, & radiis stellas omnes multis gradibus excedunt, fulcherrimamque in anima harmoniam efficiunt, negligeret. Quid referet me scire, ut solitus sim cùm Saturnus, & Mars contrario constabunt? aut cùm Mercurius vespertinum faciet oce asum vidente Saturno? potius quām ut hoc dicam, ubicumque ista sint, ut sim semper inter dissimilia mei similis. Conducet magis ad salutem, cavere ne sol occidat supra meam iracundiam, quām investigare solis eclipticam. Suspicio illam Astrologiam, quæ eò me deducit, ut cælum contemplatus exclamem: *Quām sordet mibi terra, dum cælum aspicio.* Scitè Demonax, cùm quidam inquireret, an mundus esset animatus? & rursum, an globosus? Vos, inquit, de mundo solliciti estis; & veistram ipsorum immunditiam non curatis. Sic multi impensiūs sunt solliciti ut aspiciant stellas, quām ut fulgeant quasi stellæ in perpetuas æternitates: & ut intelligent labores, & defectiones mutabilis lunæ, quām ut ipsi stulti non mutentur ut luna: & ut in cælo percipient planetam Veneris, quām ut extinguit in seignem Veneris. Stude potius animum excolete virtutibus, quām inhætere aspiciendis sideribus.

*Virtute exultus, tolles ad sidera vultus.*

## II. DIES MAII.

A

Superbia etiam in rectè factis cavenda, ne homo dum quod Dei est, deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum. *S. August. de Nat. & Grat. cap. 32.*

I. Nun-